

malus sit, quod de conditione sua dissimulat; cum in sua potestate habeat, ut statim ad libertatem perveniat. Quod quidem non potest ei imputari, cui nondum libertas debetur; pone statuliberum passum se venundari: nemo dicturus est, superveniente conditione, quae non fuit in ejus potestate, libertatis petitionem ei denegandam; idem puto etiam si in ipsius potestate fuit conditio. Sed in proposito magis probandum est, ut denegetur ei libertatis petitio, qui potuit petere libertatem, et maluit se venundari: quis indignus est auxilio praetoris fideicommissarii.

5. Idem, lib. singular., ad senatusconsultum Claudianum.

Si duo liberum hominem majorem annis viginti emerimus, unus sciens ejus conditionem, alter ignorans; an non propter eum, qui scit, ad libertatem ei proclamare permittitur, sed propter eum, qui ignorat, servus efficietur? Sed non etiam ejus, qui scit, sed tantum alterius.

TIT. XIV.

SI INGENUUS ESSE DICETUR.

1. MARCELLUS, lib. 7 Digestorum.

Si libertus alterius alio agente ingenuus pronuntiatus esse dicitur, sine ulla exceptione temporis, patronus ejus cognitionem solet exercere.

2. SATURNINUS, [lib. 1, de officio Proconsulis].

Qui se venire passus esset majorem, scilicet ut pretium ad ipsum perveniret, prohibendum de libertate contendere D. Hadrianus constituit: sed interdum ita contendendum permisit, si pretium [suum] reddidisset. — § 1. Qui se ex libertinitate ingenuitati adserant, non ultra quinquennium, quam manumissi fuissent, audiuntur. — § 2. Qui post quinquennium reperisse instrumenta ingenuitatis suae adseverant, de ea re ipsos principes adire oportere cognovimus.

3. POMPONIUS, [lib. 3 Senatusconsultorum].

Hoc sermone, agnitis natalibus, de nullis aliis intelligendum est senatum sensisse, quam ingenuis. — § 1. Verbo autem, relinquerent, etiam hoc intelligendum est, ut quaecunque ex re ejus, a quo manumissi erant, acquisita habeant, restituantur. Sed id quemadmodum accipiendum sit, videndum est: utrumne quae ignorantibus dominis abstulissent, item quod ex his adquisitum, reddere debeant; an vero etiam concessa et donata a manumissoribus amplexi sint? quod magis est.

4. PAPINIANUS, [lib. 22 Quaestionum].

Oratio, quae prohibet apud consules, aut praesides provinciarum post quinquennium a die manumissionis in ingenuitate proclamare, nullam causam aut personam excipit.

5. Idem, [lib. 10 Responsorum].

Patronum post quinquennium sententiae pro ingenuitate dictae, quo ignorante res judicata est, non esse praescriptione temporis summovendum respondi.

6. ULPIANUS, [lib. 38, ad Edictum].

Quotiens de hoc contenditur, an quis libertus sit: sive opera petantur, sive obsequium desideretur, sive etiam famosa actio intendatur, sive in jus vocetur, qui se patronum dicit, sive nulla causa interveniat, redditur praedictum. Sed et quotiens quis libertinum quidem se confitetur, libertinum autem Gaii Scii se negat, idem praedictum datur. Redditur autem alterutro desiderante. Sed actoris partibus semper, qui se patronum dicit, fungitur, probareque libertum suum necesse habet: aut, si non probet, vincitur.

TIT. XV.

NE DE STATU DEFUNCTORUM POST QUINQUENNIIUM QUERATUR.

1. MARCIANUS, [libro sing. de Delatoribus].

De statu defunctorum post quinquennium quaerere non licet, neque privatim, neque fisci nomine. — § 1. Sed nec ejus status retractandus

7. L. 7, § 3, supr. tit. proc. — Tit. XIV. — 1. L. 1, in pr. supr. quib. ad libert. proclam. — 2. L. 4, infr. h. t. atrog. L. ult. C. ubi causa status. — 3. L. 1, in fin. C. de ingen. manumiss. — 4. L. 2, § 1, supr. h. t. — 5. L. 5, § 18, supr. de agnos. et aliend. liber. — L. 1, L. 5, C. de ingen. manum. — 6. L. 18, in pr. supr. de probat. — 7. Fidei tamen L. 14, supr. d. t. — Tit. XV. — 1. Lib. 7, C. 21. — 2. L. ult. in pr. infr. — L. 4, C. h. t. — 3. L. 1, C. eod.

est, qui intra quinquennium decessit, si per hujus quaestionem praedictum futurum est ante quinquennium mortuo. — § 2. Imo nec de vivi statu quaerendum est, si questio hujus praedictum facit ei, qui ante quinquennium decessit: et ita D. Hadrianus constituit. — § 3. Sed interdum et intra quinquennium non licet de statu defuncti dicere? Nam oratione divi Marci cavetur, ut si quis ingenuus pronuntiatus fuerit, liceat ingenuitatis sententiam retractare: sed vivo eo, qui ingenuus pronuntiatus est, non etiam post mortem; in tantum, ut etiam si coepit questio fuit retractationis, morte ejus extinguatur, ut eadem oratione cavetur. — § 4. Si quidem in deteriore conditione quis statum retractaret, secundum ea, quae dixi, praescribendum est. Quid ergo, si in meliorem: veluti pro servo libertus dicitur [quare non admittatur? quid enim, si servus quis dicitur], quasi ex ancilla natus, quae ante quinquennium mortua est? quare non liceat probare liberam fuisse: hoc enim et pro mortua est? Et Marcellus lib. 5 de officio Consulis scripsit, posse: ego quoque in auditorio publico idem secutus sum.

2. PAPINIANUS, lib. 14 Responsorum.

Non esse libertatis quaestionem filiis inferendam propter matris vel patris memoriam post quinquennium a morte non retractatam convenit. — § 1. Nec in ea re, quae publicam tutelam meruit, pupillis agentibus restitutionis auxilium tribuendum est, quod quinque annorum tempus, cum tutores non haberent, excesserit. — § 2. Praescriptio quinque annorum, quae statum defunctorum tuetur, specie litis ante mortem illata non fit irrita, si veterem causam, desistente qui movit, longo silentio finitam probetur.

3. HERMOGENIANUS, lib. 6 juris Epitomarum.

Ante quinquennium defuncto status honestior, quam mortis tempore fuisse existimabatur, vindicari non prohibetur. Idcirco etsi quis in servitute moriatur, post quinquennium liber decessisse probari potest.

4. CALLISTRATUS, lib. 1, de jure Fisci.

Primus omnium D. Nerva edicto vetuit, post quinquennium mortis cujusque de statu quaeri. — § 1. Sed et divus Claudius Claudiano rescripsit, si per quaestionem nummariam praedictum statui videbitur fieri, cessare quaestionem.

TIT. XVI.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

1. GAIVS, lib. 2, ad Edictum praetoris urbani, titulo de liberali Causa.

Ne quorundam dominorum erga servos nimia indulgentia inquinaret amplissimum ordinem, eo quod paterentur servos suos in ingenuitatem proclamare, liberosque judicari: senatusconsultum factum est Domitiani temporibus, quo cautum est, ut si quis probasset per collusionem quicumque factum, si iste homo servus sit, fieret ejus servus, qui detexisset collusionem.

2. ULPIANUS, lib. 2, de officio Consulis.

Collusionem detegere ingenuitatis post sententiam intra quinquennium posse, divus Marcus constituit. — § 1. Quinquennium autem continuum utique accipiendus. — § 2. Sicubi plane aetas ejus, cujus retractatur collusio, differendam retractationem in tempus pubertatis vel alterius rei suadet: quinquennium non currere dicendum est. — § 3. Quinquennium autem non ad perficiendam retractationem, sed ad inchoandam puto praefinitum; aliter atque circa eum, qui ex libertinitate se in ingenuitatem petit. — § 4. Oratione divi Marci cavetur, ut etiam extraneis, qui pro altero postulandi jus haberent, liceret detegere collusionem.

3. CALLISTRATUS, lib. 4, de Cognitionibus.

Cum non justo contradicere quis ingenuus pronuntiatus est, perinde inefficax est decretum, atque si nulla judicata res intervenisset: idque principalibus constitutionibus cavetur.

4. ULPIANUS, [lib. 1, ad legem Juliam et Papiam].

Si libertinus per collusionem fuerit pronuntiatus ingenuus, collusionem detecta, in quibusdam causis quasi libertinus incipit esse. Medio tamen tempore, antequam collusio detegatur, et post sententiam de ingenuitate latam, utique quasi ingenuus accipitur.

— 4. L. 1, § ult. supr. eod. — Tit. XVI. — 1. Lib. 7, C. 20; L. 1, § 1, supr. de jure aureor. annul. — 2. L. ult. C. h. t. — 3. L. 2, supr. de jure aureor. annul.; L. 29, in fin. supr. de liberali caus. — 4. L. 1, C. de ingen. manumiss. — 5. L. 25, supr. de statu homin. — 6. L. 1, supr.; L. 1, L. 2, C. h. t.; L. 4, in fin. C. de serv. fugitiv.

5. HERMOGENIANUS, [lib. 5 juris Epitomarum].

Sententiam pro ingenuitate dictam, et collusionis praetextu semel retractare permittitur. — § 1. Si plures ad collusionem detegendam pariter accedant, causa cognita, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus, et aetatibus, et quibus magis interest, statui oportet.

LIBER QUADRAGESIMUS PRIMUS.

TIT. I.

DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.

1. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Quarundam rerum dominium nanciscimur jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peraeque servatur: quarundam jure civili, id est, jure proprio civitatis nostrae. Et quia antiquius jus gentium cum ipso genere humano creditum est, opus est, ut de hoc prius referendum sit. — § 1. Omnia igitur animalia, quae terra, mari, caelo capiuntur, id est, ferae bestiae, [et] volucres, pisces, capientium fiunt:

2. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Vel quae ex his apud nos sunt edita.

3. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. — § 1. Nec interest, quod ad feras bestias et volucres, utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi accupandive gratia, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi, ne ingrederetur. — § 2. Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque nostrum esse intelligitur, donec nostra custodia coercetur; cum vero eraserit custodia nostram, et in naturalem libertatem se receperit: nostrum esse desinit, et rursus occupantis fit.

4. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Nisi, si mansuetacta emitti ac reverti solita sunt.

5. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Naturalem vel libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu nostro, ut difficilis sit ejus persecutio. — § 1. Illud quaesitum est, an fera bestia, quae ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur. Trebatio placuit statim nostram esse, et eo usque nostram videri, donec eam persequamur; quod si desiderimus eam persequi: desinere nostram esse, et rursus fieri occupantis; itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipse lucrifaceret: furtum videri nobis eum commisisse. Plerique non aliter putaverunt eam nostram esse, quam si eam ceperimus: quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus: quod verius est. — § 2. Apium quoque natura fera est. Itaque quae in arbore nostra considerint, antequam a nobis alveo concludantur, non magis nostrae esse intelliguntur, quam volucres, quae in nostra arbore nidum fecerint. Ideo si alius eas incluserit, earum dominus erit. — § 3. Favos quoque si quis haec fecerint, sine furto quilibet possidere potest. Sed (ut supra quoque diximus) qui in alienum fundum ingreditur, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi ne ingrederetur. — § 4. Exammen, quod ex alveo nostro evolaverit, eo usque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est: alioquin occupantis fit. — § 5. Pavonium et columbarum fera natura est. Nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine avolare et revolare solent. Nam et apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Cervos quoque ita quidam mansuetos habent, ut in sylvas eant et redeant: quorum et ipsorum feram esse naturam negat. In his au-

7. L. 5, in fin. infr. de popul. act. — Tit. I. — 1. Lib. 2, Inst. 1. — 2. § 11, Inst. de rer. divis. — 3. § 12, Inst. d. t. — 4. L. 6, infr. h. t. — 5. d. § 12. — 6. L. 16, supr. de servit. praed. rustic. — L. un. C. de thesaur. lib. 10, tit. 15. — 7. L. 5, § 5, infr. h. t. — 8. L. 1, § 16, supr. si quadrupes pauper. — 9. L. 8, in pr. infr. h. t. — 10. L. 44, infr. eod. — 11. L. 5, in fin. supr. d. L. 44, infr. eod. — 12. § 12, in fin. Inst. de rer. divis. — 13. L. 55, vers. summam, infr. h. t.; § 13, Inst. de rer. divis. — 14. § 24, Inst. d. t. — 15. d. § 14. — 16. L. 26, in pr. infr. de furt. — 17. d. § 14, in fin. — 18. L. 3, § 16, infr. de acquirit. vel amitt. poss. — 19. § 15, Inst. de rer. divis. — 20. Fidei tamen L. 17, infr. de furt. — 21. d. § 15. — 22. Arg. L. 4, supr. h. t. — 23. L. 8, § 1, supr. famul. ercise. — 24. § 16, Inst. de rer. divis. — 25. Adde L. 44, infr. h. t. — 26. L. 7, in pr.:

tem animalibus, quae consuetudine abire et redire solent, talis regula comprobata est, ut eousque nostra esse intelligantur, donec revertendi animum habeant: quod si desiderint revertendi animum habere, desinant nostra esse, et fiant occupantium. Intelliguntur autem desisse revertendi animum habere tunc, cum revertendi consuetudinem deseruerint. — § 6. Gallinarum et anserum non est fera natura: palam est enim alias esse feras gallinas, et alios feros anseres. Itaque si quolibet modo anseres mei, et gallinae meae, turbati turbatae adeo longius evolaverint, ut ignoremus ubi sint: tamen nihilominus in nostro dominio tenentur. Qua de causa furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo apprehenderit. — § 7. Item quae ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt.

6. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Item quae ex animalibus dominio nostro eodem jure subjectis nata sunt.

7. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Adeo quidem ut et liberi homines in servitutum deducantur: qui tamen, si evaserint hostium potestatem, recipiunt pristinam libertatem. — § 1. Praeterea quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus quantum quoquo momento temporis adjiciatur. — § 2. Quod si vis fluminis partem aliquam ex tuo praedio detraxerit, et meo praedio attulerit, palam est eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo meo haeserit, arboresque, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur meo fundo acquisita esse. — § 3. Insula, quae in mari nascitur (quod raro accidit) occupantis fit: nullus enim esse creditur. In flumine nata (quod frequenter accidit), si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo latitudinis cujusque praedii, quae latitudo prope ripam sit: quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident. — § 4. Quod si uno latere perripuerit flumen, et alia [parte] novo rivo fluere coeperit: deinde infra novus iste rivus in veterem se converterit: ager qui a duobus rivis comprehensus, in formam insulae redactus est, ejus est scilicet, cujus et fuit. — § 5. Quod si toto naturali alveo relicto flumen alias fluere coeperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque praedii, quae [latitudo] prope ripam sit: novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus et ipsum flumen, id est, publicus juris gentium. Quod si post aliquod temporis ad priorem alveum reversum fuerit [et] flumen: rursus novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus praedia possident. Cujus tamen totum agrum novus alveus occupaverit, licet ad priorem alveum reversum fuerit flumen, non tamen is, cujus is ager fuerat, stricta ratione quicquam in eo alveo habere potest: quia et ille ager, qui fuerat, desiit esse, amissa propria forma; et quia vicinum praedium nullum habet, non potest ratione vicinitatis ullam partem in eo alveo habere; sed vix est, ut id obtineat. — § 6. Aliud sane est, si cujus ager totus inundatus fuerit: namque inundatio speciem fundi non mutat: et ob id cum recesserit aqua, palam est ejusdem esse, cujus et fuit. — § 7. Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit: Nerva et Proculus putant, hunc dominum esse qui fecerit: quia quod factum est, antea nullius fuerat. Sabinus [et] Cassius magis naturalem rationem efficere putant, ut qui materiae dominus fuerit, idem ejus quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset: quia sine materia nulla species effici possit; veluti si ex auro, vel argento, vel aere vas aliquod fecero: vel ex tabulis tuis navem, aut armarium, aut subsellia [fecero]: vel ex lana tua vestimentum: vel ex vino et melle tuo mulsum: vel ex medicamentis tuis emplastrum, aut collyrium: vel ex olivis, aut spicis tuis vinum, vel oleum, vel frumentum. Est tamen etiam media sententia recte existimantium, si species ad materiam reverti possit, verius esse, quod et Sabinus et Cassius senserunt: si non possit reverti, verius esse, quod Nerva et Proculus placuit; ut ecce vas conflatum, ad rudem massam auri vel argenti vel aëris reverti potest: vinum vero, vel oleum, vel frumentum, ad uvas, et olivas, et spicas reverti non potest: ac ne mulsum quidem ad

L. 5, § 1, infr. eod.; L. 1, § 1, infr. tit. prox.; § 17, Inst. de rer. divis. — 27. § 19, Inst. d. t. — 28. L. 1, in fin. C. de alluvion.; § 20, Inst. de rer. divis. — 29. L. 12, in pr.; L. 16, infr. h. t. — 30. § 21, Inst. de rer. divis.; L. 4, in fin. supr. de reb. cred. — 31. L. 8, infr. de incend. — 32. § 22, Inst. de rer. divis. — 33. L. 30, § 2, infr. h. t.; L. 1, C. de alluvion.; § 22, in fin. Inst. de rer. divis. — 34. § 23, Inst. d. t. — 35. L. 38, infr. h. t. — 36. L. 40, § 3, infr. eod. — 37. § 24, Inst. de rer. divis. — 38. § 25, Inst. d. t. — 39. L. 76, in fin. supr. de judic.; L. 9, § 5, supr. ad exhib. — 40. L. 26, in pr. infr. h. t. — 41. § 25, Inst. de rer. divis.; L. 15, § 20, supr. de instruct. vel instrum. — 42. L. 24, infr. h. t. — 43. L. 27, § 1, infr. eod.

mel et vnum; vel emplastrum, aut collyria, ad medicamenta reverti possunt. Videntur tamen mihi recte quidam dixisse, non debere dubitari, quin alienis speciebus excussum frumentum eius sit, cujus et spica fuerunt: cum enim grana, quae speciebus continentur, perfectam habeant suam speciem, qui excussit spicas, non novam speciem facit, sed eam qua est, detegit. — § 8. Voluntas duorum dominorum miscientium materia, commune totum corpus efficit: sive ejusdem generis sint materiae, veluti vinum miscuerunt, vel argentum conflaverunt; sive diversae, veluti si alius vinum contulerit, alius mel, vel alius aurum, alius argentum, quamvis et mulsi et electri, novi corporis sit species. — § 9. Sed et si sine voluntate dominorum casu confusa sint duorum materiae, vel ejusdem generis, vel diversae: idem juris est. — § 10. Cum in suo loco aliqui aliena materia edificaverit, ipse dominus intelligitur aedificii: quia omne quod inaedificatur, solo cedit. Nec tamen ideo is, qui materia dominus fuit, desinit ejus dominus esse: sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea agere, propter legem in tabularum; qua cavetur, ne quis tignum alienum cedibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo praestet. Appellatione autem tigni omnes materiae significantur, ex quibus aedificia fiunt. Ergo si aliqua ex causa dirutum sit aedificium, poterit materia dominus nunc eam vindicare, et ad exhibendum agere. — § 11. Illud recte queritur, an si id aedificium vendiderit is, qui aedificaverit, et ab emptore longo tempore captum postea dirutum sit, adhuc dominus materiae vindicationem ejus habeat? Causa dubitationis est, an eo ipso quo universitas aedificii longo tempore capta est, singulae quoque res, ex quibus constabat, captae essent: quod non placuit. — § 12. Ex diverso si quis in alieno solo sua materia edificaverit, illius sit aedificium, cujus et solum est: et si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae intelligitur; itaque neque diruto quidem aedificio vindicatione ejus materiae competit. Certe si dominus soli petat aedificium, nec solvat pretium materiae, et mercede fabricorum, poterit per exceptionem doli mali repelli: utique si nescit, qui aedificavit, alienum esse solum, et tanquam in suo bona fide aedificavit: nam si scit, culpa ei obijci potest, quod temere aedificavit in eo solo, quod intelligeret alienum. — § 13. Si alienam plantam in meo solo posuero, mea erit: ex diverso, si meam plantam in alieno solo posuero, illius erit: si modo utroque casu radices egerit; antequam enim radices ageret, illius permanet, cujus et fuit. His conveniens est, quod si vicini arborem ita terra presserim, ut in meum fundum radices egerit, meam effici arborem: rationem enim non permittere, ut alterius arbor intelligatur, quam ejus fundo radices egerit. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicinum fundum radices egerit, communis est.

8. MARCIANUS, lib. 3 Institutionum.

Pro regione cujusque praedii. — § 1. Sed et si in confinio lapis nascatur, et sunt pro indiviso communia praedia: tunc erit lapis pro indiviso communis, si terra exemptus sit.

9. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Qua ratione autem plantae, quae terra coalescunt, solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quae sata sunt, solo cedere intelliguntur. Caeterum sicut is, qui in alieno solo aedificavit, si ab eo dominus soli petat aedificium, defendi potest per exceptionem doli mali: ita ejusdem exceptionis auxilio tutus esse poterit, qui in alieno fundum sua impensa consevit. — § 1. Litterae quoque, licet aerea sint, perinde chartis membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea, quae aedificantur aut seruntur. Ideoque si in chartis membranisque tuis carmen, vel historiam, vel orationem scripsero: hujus corporis, non ego, sed tu dominus esse intelligeris. Sed si a me petas tuos libros, tuasve membranas, nec impensas scripturae solvere velis: potero me defendere per exceptionem doli mali, utique si bona fide eorum possessionem nactus sim. — § 2. Sed non, uti litterae chartis membranisque cedunt, ita solent picturae tabulis cedere: sed ex diverso placuit, tabulas picturae cedere. Utique tamen conveniens est, domino tabularum adversus eum, qui pinxerit, si is tabulas possidebat, utilem actionem dari; qua ita efficaciter experiri poterit, si picturae impensam exsolvat: alioquin nocet ei doli mali exceptio; utique si bona fide possessor fuerit, cui solverit. Adversus dominum vero tabularum ei qui pinxerit, rectam vindicationem competere dicimus: ut

44. § 23, Inst. de rer. divis. — 45. L. 3, § fin. supr. de rei vind. — 46. § 27, Inst. de rer. divis. — 47. § 29, Inst. d. t. — 48. L. 49, supr. de rei vind. — L. 2, C. de servit. — 49. L. 23, § 6, supr. de rei vind. — 50. L. 6, supr. ad exhibend. — 51. L. 1, § 1, infr. de tigno junct. — 52. L. 50, in pr. infr. de acquir. vel amit. poss. — 53. § 50, Inst. de rer. divis. — 54. § 20, supr. lites L. 5, C. de rei vind. — L. 3, C. de servit. — L. 37, supr. de rei vind. — 55. Immo side L. 3, C. de rei vind. — 56. § 23, Inst. de rer. divis. — L. 5, § 3, supr. — L. 11, C. de rei vind. — 57. L. 19, in pr. supr. communi divid. — L. 85, supr. pro socio. — 58. § 32, Inst. de rer. divis. — 59. L. 7, § 12, supr. h. t. — 60. § 35, Inst. de rer. divis. — L. 3, § 14, supr. ad exhib. — 61. § 34, Inst. de rer. divis. — L. 23, § 1, supr. de rei vind. — 62. L. 20, in pr. infr. h. t. — 240, Inst. de rer. divis. — L. 20, C. de pact. — L. 12, C. de rei vind. vide litem L. 31,

tamen pretium tabularum inferat; alioquin nocet ei doli mali exceptio. — § 3. Haec quoque res, quae traditione nostrae sunt, iure gentium nobis adquiruntur: nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberit. — § 4. Nihil autem interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an voluntate ejus aliquis. Qua ratione si cui libera negotiorum administratio ab eo qui peregre proficiscitur, permessa fuerit, et is ex negotiis rem venderit et tradiderit, facit eam accipientes. — § 5. Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam. Veluti si rem, quam commodavi aut locavi tibi, aut apud te deposui, vendero tibi: licet enim ea causa tibi eam non tradiderim, eo tamen, quod pater eam ex causa emptionis apud te esse, tuam efficio. — § 6. Item si quis merces in horreo repositas venderit, simulatque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem. — § 7. Hoc amplius, interdum et in incertam personam collocata voluntas domini, transfert rei proprietatem; ut ecce, qui missilia jactat in vulgus: ignorat enim, quid eorum quisque excepturus sit: et tamen, quia vult, quod quisque exceperit, ejus esse, statim eum dominum efficit. — § 8. Alia causa est earum rerum, quae in tempestate maris, levandae navis causa, ejiciuntur; hae enim dominorum permanent, quia non eo animo ejiciuntur, quod quis eas habere non vult, sed quod magis cum ipsa nave periculum maris effugiat: qua de causa si quis eas fluctibus expulsa, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.

10. Idem, lib. 2 Institutionum.

Adquiruntur nobis non solum per nosmetipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habemus; item per servos, in quibus usum fructum habemus, item per homines liberos et servos alienos, quos bona fide possidemus: de quibus singulis diligentius dispiciamus. — § 1. Igitur quod servi nostri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulerunt, vel ex qualibet alia causa adquirunt, id nobis adquiritur: ipse enim qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Ideoque si heres institutus sit, nisi nostro jussu, hereditatem adire non potest; et si jubentibus nobis adierit, hereditas nobis adquiritur, perinde atque si nos ipsi heredes instituti essemus. Et his convenienter scilicet legalum nobis per eundem adquiruntur. — § 2. Non solum autem proprietates per eos, quos in potestate habemus, adquiruntur nobis, sed etiam possessio: cujusque enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmur. Unde etiam per eorum longam possessionem dominum nobis adquiritur. — § 3. De his autem servis, in quibus tantum usum fructum habemus, ita placuit, ut quidquid ex re nostra, vel ex operis suis adquirat, id nobis adquiratur: si quid vero extra eas causas persecuti sint, id ad dominum proprietatis pertinet. Itaque si is servus heres institutus sit, legalumve quid, aut ei donatum fuerit, non mihi, sed domino proprietatis adquiruntur. — § 4. Idem placet de eo qui nobis bona fide possidet, sive liber sit, sive alienus servus: quod enim placuit de usufructuario, idem probatur etiam de bona fidei possessore. Itaque quod extra duas causas adquirunt, [id] vel ad ipsum pertinet, si liber est: vel ad dominum ejus, si servus est. — § 5. [Sed] bona fidei possessor, cum userit servum, quia eo modo dominus fit, ex omnibus causis per eum sibi acquirere potest; usufructuarii vero userit servus non potest: primum, quia non possidet, sed habet jus utendi fruendi: deinde, quoniam scit servum alienum esse.

11. MARCIANUS, lib. 3 Institutionum.

Pupillus, quantum ad acquirendum, non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem potest, nisi presente tutore auctore, et ne quidem possessionem, quae est naturalis, ut *Sabinianis visum* est; quae sententia vera est.

12. CALLISTRATUS, lib. 2 Institutionum.

Lacus et stagna, licet interdum crescant, interdum exaescant, suos tamen terminos retinent: ideoque in his jus alluvionis non agnoscitur. — § 1. Si ere meo, et argento tuo conflato, aliqua species facta sit, non erit ea nostra communis: quia cum diversae materiae res atque argentum sit, ab artificibus separari, et in pristinam materiam reduci solet.

in pr. infr. h. t. — 63. L. 9, C. de Judaeis. — 64. § 45, Inst. de rer. divis. — 65. § 45, Inst. d. t. — L. 35, L. 59, supr. de procur. — 66. Immo side L. 16, C. — L. 65, supr. d. t. — 67. § 44, Inst. de rer. divis. — 68. § 45, Inst. d. t. — 69. L. 74, supr. de contrah. empt. — 70. § 45, Inst. de rer. divis. — 71. § 48, Inst. d. t. — L. 7, infr. pro delictio. — 72. L. 53, L. 63, in pr. infr. h. t. — L. 1, § 1, supr. de his qui sui, vel alien. jur. — L. 79, supr. de acquir. vel amit. hered. — § 3, Inst. per quas person. cuique. — 73. d. § 3, vers. non solum. — L. 24, infr. de acquir. vel amit. poss. — 75. § 4, in pr. Inst. per quas person. cuique. — 76. d. § 4, vers. Idem placet et § 1, Inst. per quas person. nobis oblig. — 77. d. § 4, vers. sed bona fidei possessor. — 78. § 2, Inst. quib. alien. licet. — L. 9, supr. de auctor. tut. — 79. L. 24, in fin. supr. de aqua et aqua pluvi. — 80. L. 5, § 2, supr. de rei vind.

15. NERATIUS, lib. 6 Regularum.

Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine: dominum mihi, id est, proprietatem adquiratur, etiam ignoranti. — § 1. Et tutor pupilli, pupillae, similiter ut procurator, emendo nomine pupilli, pupillae, proprietatem illis adquiret etiam ignorantibus.

14. Idem, lib. 5 Membranarum.

Quod in litore quis aedificaverit, ejus erit: nam litora publica non ita sunt, ut ea quae in patrimonio sunt populi, sed ut ea quae primum a natura prodita sunt, et in nullius adhuc dominum pervenerunt; nec dissimilis conditio eorum est, atque piscium et ferarum: quae simul atque adprehensae sunt, sine dubio ejus, in cujus potestatem pervenerunt, dominii fiunt. — § 1. Illud videndum est, sublato aedificio, quod in litore positum erat, cujus conditionis locus sit: hoc est, utrum maneat ejus, cujus fuit aedificium, an rursus in pristinam causam recidat; perindeque publicus sit, ac si nunquam in eo aedificatum fuisset: quod propius est, ut existimari debeat: si modo recipit pristinam litoris speciem.

15. Idem, lib. 5 Regularum.

Qui autem in ripa fluminis aedificat, non suum facit.

16. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

In agris limitatis jus alluvionis locum non habere constat: idque et *divus Pius* constituit. Et *Trebatius* ait, agrum, qui hostibus devictis ea conditione concessus sit, ut in civitatem veniret, habere alluvionem; neque esse limitatum: agrum autem mancipatum, limitatum fuisse, ut sciretur, quid cuique datum esset, quid venisset, quid in publico relictum esset.

17. ULPIANUS, lib. 1, ad Sabinum.

Si duo domini servo communi rem tradiderint, adquirat alteri ab altero.

18. Idem, lib. 4, ad Sabinum.

Per hereditarium servum, quod est ejusdem hereditatis, heredi adquiri non potest: et maxime ipsa hereditas.

19. POMONIUS, lib. 3, ad Sabinum.

Liber homo qui bona fide mihi servit, id quod ex operis suis aut ex re mea paravit, ad me pertinere sine dubio, *Aristo* ait: quod vero quis ei donaverit, aut ex negotio gesto adquisierit, ad ipsum pertinere. Sed hereditatem legalitatem non adquiri mihi per eum: quia neque ex re mea, neque ex operis suis id sit; nec ulla ejus opera esset in legato: in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur; quod et *Varium Lucullum* aliquando dubitasse: sed verius esse, non adquiri, etiamsi testator ad me voluisset pertinere. Sed licet ei minime adquirat, attamen, si voluntas evidens testatoris appareat, restituendam esse ei hereditatem. Sed *Trebatius*, si liber homo bona fide serviens, jussu ejus, cui serviat, hereditatem adiisset, heredem ipsum fieri: nec interesse, quid senserit, sed quid fecerit. *Labco* contra, si ex necessitate id fecisset: quod si ita, ut et ipse vellet, ipsum fieri heredem.

20. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: si non habuit, ad eum qui accipit, nihil transfert. — § 1. Quotiens autem dominum transferat, ad eum qui accipit, tale transferat, quale fuit apud eum qui tradit; si servus fuit fundus, cum servitibus transit; si liber, uti fuit: et si forte servitutes debebantur fundi, qui traditus est, cum iure servitutum debeat transferat. Si quis igitur fundum dixerit liberum, cum traderet eum qui servus sit, nihil juris servitutum fundi detrahit: verum tamen obligat, se, debeatque prestare, quod dixit. — § 2. Si ego et *Titius* rem emerimus, etque *Titio* et quasi meo procuratori tradita sit, puto mihi quoque quaesitum dominium: quia placet, per liberam personam omnium rerum possessionem quaeri posse, et per hanc dominium.

21. POMONIUS, lib. 14, ad Sabinum.

Si servus meus tibi bona fide serviet, et rem emisset, traditaque ei esset: *Proculus*, nec meam fieri, quia servum non possideam; nec tuam,

81. Immo side L. 24, supr. de negot. gest. — 82. L. 20, in fin. infr. h. t. — L. 54, § 2, infr. de acquir. vel amit. poss. — 83. L. 5, in fin. L. 6, in pr. supr. § 3, Inst. de rer. divis. — L. 50, infr. h. t. — 84. *Adde* L. 50, in fin. infr. cod.; L. 10, supr. de rer. divis. — 85. L. 6, in pr. supr. d. t. — 86. *Arg.* L. 5, in fin. pr. supr. d. t.; junct. L. 7, § 12, supr. h. t. — 87. L. 8, § 2, infr. de acceptil. — 88. L. 43, supr. de acquir. vel amit. hered.; L. 1, § 16, infr. de acquir. vel amit. poss. — 89. L. 25, in pr. infr. h. t.; § 4, Inst. per quas person. cuique. — 90. L. 67, supr. de contrah. empt. — L. 5, in fin. supr. de pignorib.; L. 54, L. 120, infr. de reg. jur. — 91. L. 9, § 3, supr. h. t. — 92. Immo side L. 46, infr. cod. — 93. L. 23, § 2, supr. de servit. praed. rustic.; L. 67, supr. de contrah. empt.; L. 3, C. de servit.; L. 12, C. de disticta pignori. — 94. L. 15, in fin. supr. — L. 55, infr. h. t. — L. 11, § 26, supr. de pignorat.; L. 1, § 20, L. 1, L. 2, L. 34, § 1, infr. de acquir. vel amit. poss.; L. 4, C. de acquir. et retin. poss.

si non ex re tua sit parata. Sed si liber bona fide tibi serviens emerit, ipsius fieri. — § 4. Si rem meam possideas, et eam velim tuam esse: fiet tua, quamvis possessio apud me non fuerit.

22. ULPIANUS, lib. 40, ad Sabinum.

Nemo servum videtur possidens, aut clam, aut precario, per hunc stipulantem vel rem accipientem potest acquirere.

25. Idem, lib. 43, ad Sabinum.

Qui bona fide alicui serviat, sive servus alienus est, sive homo liber est, quicquid ex re ejus, cui servit, adquirat, ei adquiret, cui bona fide servit. Sed et si quid ex operis suis adquisierit, simili modo ei adquirat; nam et operae quodammodo ex re ejus, cui servit, habentur: quia iure operas ei exhibere debet, cui bona fide servit. — § 1. Tandem autem adquirat, quando bona fide servit; caeterum si coeperit scire, esse eum alienum vel liberum: videamus, an ei adquirat? Quae in eo est, utrum initium spectamus, an singula momenta? et magis est, ut singula momenta spectemus. — § 2. Generaliter dicendum est, quod ex re sua, hoc est ejus, cui bona fide quis servit, ei adquirere non potest, sibi eum adquisiturum: quod autem non ex re ejus sibi adquirere non potest, ei adquisiturum, cui bona fide servit. — § 3. Si quis duobus bona fide serviat, utriusque adquiret, sed singulis ex re sua. Quod autem ex re alterius est, utrum pro parte ei cui bona fide servit, pro parte domino, si servus sit, aut si liber sit, ei [cui bona fide servit]: an vero ei debeat acquirere totum ex cuius re est, videamus? Quam speciem *Scavola* quoque tractat lib. 2 *Quaestionum*; ait enim, si alienus servus duobus bona fide serviat, et ex unius eorum rem adquirat, rationem facere, ut ei duntaxat in solidum adquirat: sed si adiciat ejus nomen, ex cuius re stipulatur; nec dubitandum esse ait, quin ei soli adquiratur; quia et si ex re ipsius stipularetur, alteri ex dominis nominatim stipulando, solidum ei adquiret. Et in *inferioribus* probat, ut quamvis non nominatim, nec jussu meo, ex re tamen mea stipulatus sit, cum pluribus bona fide serviet, mihi soli adquirat; nam et illud receptum est, ut quotiens communis servus omnibus adquirere non potest, ei soli eum acquirere, cui potest: et hoc *Julianum* quoque scribere, saepe retuli: eoque iure utimur.

24. PAULUS, lib. 14, ad Sabinum.

In omnibus, quae ad eandem speciem reverti [non] possunt, dicendum est, si materia manente species duntaxat forte mutata sit (veluti si [ex] meo ere statuam, aut argento sphyllum fecisses), me eorum dominum manere:

25. CALLISTRATUS, lib. 2 Institutionum.

Nisi voluntate domini alterius nomine id factum sit; propter consensum enim domini tota res ejus fit, cujus nomine facta est.

26. PAULUS, lib. 14, ad Sabinum.

Sed si meis tabulis navem fecisses, tuam esse: quia cupressus non maneret, sicuti nec lana vestimento facta; sed cupressum aut laneum corpus fieret. — § 1. *Proculus* indicat, hoc iure nos uti, quod *Servio* et *Labconi* placuissent: in quibus propria qualitas expectaretur, si quid additum erit, toto cedit; ut statuae pes, aut manus, scypho fundus, aut ansa, lecto fulcrum, navi tabula, aedificii cementum: tota enim ejus sunt, cujus ante fuerant. — § 2. Arbor radicibus eruta, et in alio posita, priusquam coalescat, prioris domini est: ubi coalescit, agro cedit: et si rursus erata sit, non ad priorem dominum revertitur; nam credibile est, alio terrae alimento aliam factam. — § 3. Si meam lanam feceris purpuram, nihilominus meam esse *Labco* ait, quia nihil interest inter purpuram, et eam lanam, quae in lutum aut cenam cecidisset, atque ita pristinum colorem perdidisset.

27. POMONIUS, lib. 30, ad Sabinum.

Quidquid [in] facto argento alieni argenti addideris, non esse tuum totum argentum, fatendum est: at contra si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris, alienove argento ferrumnaveris, non dubitatur scyphum tuum esse, et a te recte vindicari. — § 1. Ubi simul plura contribuantur, ex quibus unum medicamentum sit; aut coctis odoribus unguenta facimus: nihil hic suum vere dicere potest prior dominus; quare potissimum existimari, cujus nomine factum sit, ejus esse. — § 2. Cum partes duorum

§ 3, Inst. per quas person. cuique. — 95. L. 19, supr. h. t. — 96. L. 9, § 5, supr. cod.; L. 64, in pr. supr. de civil. — 97. L. 34, in fin. infr. de stipul. servor. — 98. L. 10, in pr. et § 4; L. 19, supr. h. t.; L. 1, § 6, infr. de acquir. vel amit. poss.; L. 7, in fin. infr. pro emptore; L. 20, infr. de stipulat. servor.; L. 3, in pr. C. de rei vind. Inst. per quas person. cuique. in pr.; § 2, Inst. per quas person. nobis. — 99. Immo side L. 25, in fin. supr. de usur. — 100. Immo side L. 45, infr. h. t. — L. 19, infr. de stipul. servor. — L. 2, L. 25, § 3, supr. de usur. — L. 7, § 7, supr. h. t. — 4. Immo side L. 61, supr. de rei vind.; L. 2, et 3, supr. d. t. — 6. d. § 2. — 7. *Adde* L. 21, § 4, infr. de furt. — 8. *Arg.* L. 3, in fin. supr. de legat., § 1. — 9. L. 61, supr. de rei vind.; § 25, Inst. de rer. divis. — 40. L. 25, in fin. infr. h. t.; in pr. supr. de rei vind. — 11. L. 7, § 2, ult. supr. h. t.; L. 5, § 3, supr. de rei vind.; L. 9, § 3, supr. de damno infect.; § 5, Inst. de rer. divis. — 12. L. 3, § 2, ult. supr. de rei vind.

dominorum ferrumine cohaereant, hæ cum quereretur utri cedant, Cassius ait, proportionem rei æstimandum, vel pro pretio cuiusque partis. Sed si neutra alteri accessioni est, videamus ne aut utriusque esse dicenda sit, sicuti massa confusa, aut ejus cuius nomine ferruminata est? Sed Proculus et Pegasus existimant, suam cuiusque remanere.

28. *Idem*, lib. 35, ad Sabinum.

Si supra tuum parietem vicinus ædificaverit, proprium [ejus] id quod ædificaverit fieri, Labeo et Sabinus aiunt. Sed Proculus, tuum proprium, quemadmodum¹⁵ tuum feret, quod in solo¹⁴ tuo alius ædificasset; quod verius est.

29. *PAULUS*, lib. 16, ad Sabinum.

Inter eos qui secundum unam ripam prædia habent, insula in flumine nata, non pro indiviso communis sit, sed¹⁹ regionibus quoque divisio: quantum enim ante cuiusque eorum ripam est, [tantum], veluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in eo habebit certis regionibus.

30. *POMPONIUS*, lib. 34, ad Sabinum.

Ergo si insula nata adcreverit fundo meo, et inferiorem¹⁶ partem fundi vendidero, ad cuius frontem insula non respicit, nihil ex ea insula pertinebit ad emptorem: eadem ex causa, qua¹⁷ nec ab initio quidem ejus fieret, si jam tunc, cum insula nasceretur, ejusdem partis dominus fuisset. — § 1. Celsus filius, si in ripa fluminis, quæ secundum agrum meum sit, arbor nata sit, meam¹⁸ esse ait: quia solum ipsum meum privatum est, usus autem ejus publicus¹⁹ intelligitur: et ideo, cum exsiccatus esset alveus, proximorum fit: quia jam populus eo non utitur. — § 2. Tribus modis insula in flumine fit: uno, cum²⁰ agrum, qui alvei non fuit, amnis circumfluit; altero, cum locum qui alvei esset, siccum relinquit et circumfluere cœpit; tertio, cum paulatim colluendo locum eminentem supra alveum fecit, et eum alluendo auxit. Duobus posterioribus modis privata insula fit ejus, cuius ager propior fuerit, cum primum extitit: nam et natura fluminis hæc est, ut cursu suo mutato, alvei causam mutet: nec quicquam intersit, utrum de alvei duntaxat solo mutato, an de eo quod superfusum solo et terræ sit, quæretur? utrumque enim ejusdem generis est. Primo autem illo modo causa proprietatis non mutatur. — § 3. Alluvio²¹ agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit. Itaque si ager, qui inter viam publicam et flumen fuit, inundatione fluminis occupatus esset (sive paulatim occupatus esset, sive non paulatim), sed eodem impetu recessu fluminis restitutus, ad pristinum dominum pertinet: flumina enim *censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum adducant, et ex publico in privatam*. Itaque sicuti hic fundus, cum alveus fluminis factus esset, fuisset publicus: ita nunc privatus ejus esse debet, cuius antea fuit. — § 4. Si pilas²² in mare jactaverim, et supra eas irædificaverim, continuo ædificium meum fit. Item si insulam in mari ædificaverim, continuo mea fit: quoniam id quod nullius sit, occupantis fit.

31. *PAULUS*, lib. 31, ad Edictum.

Nunquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio²³, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. — § 1. *Thesaurus* est vetus quedam depositio pecuniæ²⁴ cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat: sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alterius sit. Alioquin si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ, condiderit sub terra, non est thesaurus: cuius etiam furtum fit.

32. *GAIUS*, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Etiam²⁵ invitis²⁶ nobis per servos acquiritur pene ex omnibus causis.

33. *ULPIANUS*, lib. 4 Disputationum.

In eo quod servo castrensi²⁷ ante aditam hereditatem filiifamilias militis legatur, vel eo, quod stipulatur servus, tractatur apud Marcellum libro 20, ex cuius persona vel stipulatio vires habet, vel legatum; et puto verius, quod et Scævola videtur, et ipse Marcellus tractat, si quidem adeatur hereditas, omnia ut in hereditario servo: si adita non sit, ut in proprio patris esse spectanda. Et si usufructus fuerit huic servo relictus, modo patri videri delatum, modo heredi: nec a persona in personam creditur transisse. — § 1. Eadem distinctione quis utetur, etiam si res fuerit subtracta; aut cessare, aut non, furti actionem dicet, si ex testamento adierit: quoniam hereditati furtum non sit;

13. L. 1. C. d. t. — 14. L. 59, in pr. supr. d. t. — L. 15, in pr. supr. de usufr. — 15. L. 1, § 6, infr. de fluminib.; § 22, Inst. de rer. divis. — 16. *Adde* L. 56, in pr. infr. h. t. — 17. *Adde* L. 52, in fin. supr. de act. empt. — 18. L. 5, in fin. pr. supr. § 4, in fin. Inst. de rer. divis. — 19. d. § 4. — 20. L. 7, § 4, supr. h. t. — 21. *Adde* L. 58, infr. eod. — 22. L. 3, § 1, infr. ne quid in loco publico. — 23. L. 5, § 10, supr. de donat. inter vir. et ux. — 24. *Adde* L. un. C. de thesaur. — 25. L. 2, infr. de verb. oblig.; § 3, Inst. per quas person. cuique. — 26. *Immo*

aut si non adierit, patri dabitur furti actio: nam et conditio. — § 2. Quotiens servus hereditarius stipulatur, vel per traditionem accipit, ex persona defuncti vires consumit, ut Juliano placet: cuius et valuit sententia, testantis personam spectandam esse, opinantis.

34. *Idem*, lib. 4, de Censibus.

Hereditas enim non heredis personam, sed²⁸ defuncti sustinet, ut multis argumentis juris civilis comprobatum est.

35. *Idem*, lib. 7 Disputationum.

Si procurator meus vel tutor pupilli, rem suam, quasi meam, vel pupilli, alii tradiderint, non recessit ab eis dominium, et nulla est alienatio: quia nemo errans²⁹ rem suam emittit.

36. *JULIANUS*, lib. 15 Digestorum.

Cum in corpus quidem, quod traditur, consentiamus, in causis vero dissentiamus: non animadverto, cur inefficax sit traditio: veluti si ego credam, me ex testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam, tu existimes, ex stipulatio tibi eum deberi. Nam et si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quasi creditam accipias: constat proprietatem ad te transire³⁰, nec impedimento esse, quod circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus.

37. *Idem*, lib. 44 Digestorum.

Per servum, qui pignori³¹ datus est, creditor nec possessio acquiritur: quia nec stipulatione, nec mandatione, nec ullo alio modo per eum servum quicquam ei acquiritur, quamvis possessio penes eum sit. — § 1. Si unus ex dominis servo communi pecuniam donavit, in potestate domini est, quemadmodum³² servo communi pecuniam donet; nam si hoc solum egerit, ut ea separaret a suis rationibus, et in peculio servi sit: manebit ejusdem domini proprietatis; si vero eo modo pecuniam servo communi donaverit, quo modo alienis servis donare solemus: fiet sociorum communis pro portione, quam in servo habebunt. — § 2. Sed, ut sequens questio locum habeat, constituamus socium ita servo communi pecuniam donasse, ut proprietatem suam manere vellet: si ex hac pecunia servus fundum comparaverit, erit is fundus communis sociorum pro³³ portione domini. Nam et si furtivis nummis servus communis fundum comparaverit, sociorum erit pro portione domini. Neque enim ut fructuarius servus ex re fructuarii non acquiritur proprietario, ita et communis servus ex re alterius domini non acquiritur alteri domino; sed quemadmodum in his, quæ aliunde acquiruntur, diversa conditio est fructuarii, et servi communis (veluti cum alter fructuario non acquirit, alter dominus acquirit): ita quod ex re quidem fructuarii adquisitum fuerit, ad eum solum pertinebit; quod ex re alterius domini servus communis adquisierit, ad utrumque dominum pertinebit. — § 3. Sicut servus communis stipulando nominatim³⁴ alteri ex dominis, ita per traditionem accipiendo, soli ei acquirit. — § 4. Quod unus servus, per traditionem accipiendo, se accipere dixerit domino et Titio, partem domino acquirit, in parte nihil agit. — § 5. Fructuarius servus, si³⁵ dixerit, se domino proprietatis per traditionem accipere ex re fructuarii, totum domino acquirit: nam et si stipulando ex re fructuarii, domino proprietatis acquireret. — § 6. Si cum mihi donare³⁶ velles, jusserim te servo communi meo et Titii rem tradere, isque hæc mente acciperet, ut rem Titii faceret: nihil agitur. Nam et si procuratori meo rem tradideris, ut meam faceres, is hæc mente acceperit, ut suam faceret: nihil agitur. Quod si servus communis hæc mente acceperit, ut duorum dominorum faceret, in parte alterius domini nihil agitur.

38. *ALFENUS VARUS*, lib. 4 Digestorum a Paulo epitomatorum.

Attius fundum habebat secundum viam publicam, ultra viam flumen erat, et ager Lucii Titii: [fluit] flumen paulatim, primum omnium agrum, qui inter viam et flumen esset, ambedit, et viam sustulit: postea rursus minutatim recessit, et alluvione³⁷ in antiquum locum rediit. Respondit, Cœm flumen agrum et viam publicam sustulisset, eum agrum ejus factum esse, qui trans flumen fundum habuisset: postea cum paulatim retro reddisset, admissis ei, cuius factus esset, et addidisset ei, cuius trans viam esset; quoniam ejus fundus proximus flumini esset; id autem quod publicum fuisset, nemini accessisse; nec tamen impedimento viam esse [ait], quo minus ager, qui trans viam alluvioni relictus est, Attii fieret: nam ipsa quoque via fundi esset.

vide L. 19, § 3, supr. de donat. — 27. L. 14, § 1 et 2, infr. de castrensi pecul. — 28. L. 31, § 1, supr. de hered. instit. — 29. L. 18, C. de rei vind. — 30. *Immo* vide L. 18, in pr. supr. de reb. cred. — 31. L. 1, § 15, infr. de acquir. vel amit. possess. — 32. *Adde* L. 49, infr. h. t.; L. 16, in fin. supr. de usu et habit. — L. 16, supr. de pecul. — 33. L. 45, infr. h. t. — 34. L. 5, infr. de stipul. servor. — 35. L. 25, § 6, supr. de usufr. — 36. L. 15, supr. de donat. — 37. L. 7, § 3, L. 50, § 3, supr. h. t.

39. *JULIANUS*, lib. 3, ex Minicio.

Etiam furtivus servus bonæ fidei emptori acquirit, quod ex re ejus stipulatur, aut per traditionem accipit.

40. *AFRICANUS*, lib. 7 Quæstionum.

Quæsitum est, si is, cui liber homo bona fide serviret, decesserit: eique is heres extiterit, qui liberum eum esse sciat, an aliquid per eum acquirat? Non esse ait, ut hic bona fide possessor videatur, quando sciens³⁸ liberum possidere cœperit: quia, et si fundum suum quis legaverit, heres, qui eum legatum esse sciat, procul dubio fructus ex eo suos non faciet; et multo magis si testator eum alienum bona fide emptum possedit; et circa servorum igitur operam ac ministerium eandem rationem sequendam: ut sive proprii, sive alieni, vel legati, vel manumissi testamento fuerint, nihil per eos hereditibus, qui modo eorum id non ignorarent, acquiritur; etenim simul hæc fere cedere, ut quo casu fructus prædiorum consumptos³⁹ suos faciat bona fide possessor, eodem per servum ex opera et ex re ipsius ei acquiritur.

41. *ULPIANUS*, lib. 9, ad Edictum.

Statuas in civitate positas, civium non esse: idque Trebatius et Pegasus; dare tamen operam prætorum oportere, ut quod ea mente in publico positum est, ne liceret privato⁴⁰ auferre, nec ei qui posuerit; tuendi ergo civis erunt et adversus petentem exceptione, et actione adversus possidentem juvandi.

42. *PAULUS*, lib. 11, ad Edictum.

Substitutio quæ nondum competit, extra bona nostra est.

43. *GAIUS*, lib. 7, ad Edictum provinciale.

Servus qui bona fide possidet, id quod⁴¹ ex re alterius est, possessori non acquirit. — § 1. Incorporales res traditionem et usucapionem⁴² non recipere manifestum est. — § 2. Cum servus, in quo alterius usus-fructus est, hominem emit, et ita traditus sit: antequam pretium solvat, in pendenti⁴³ est, cui proprietatem adquisierit; et cum ex peculio, quod ad fructuarium pertinet, solverit, intelligitur fructuarii homo fuisse: cum vero ex [eo] peculio, quod proprietarium sequitur, solverit, proprietarii ex postfacto fuisse videtur.

44. *ULPIANUS*, lib. 19, ad Edictum.

Pomponius tractat, Cum pastori meo lupi porcos eriperent, hos vicinæ villæ colonus cum robustis canibus et fortibus, quos pecoris sui gratia pascebat, consecutus, lupis eripuit, aut canes extorserunt: et cum pastor meus peteret porcos, quærebatur utrum ejus facti sint porci qui eripuit, an nostri maneamt? nam genere quodam venandi id erant nanci; cogitabat tamen, quemadmodum⁴⁴ terra marique capta, cum in suam naturalem laxitatem pervenerant, desinerent eorum esse qui ceperunt: ita ex bonis quoque nostris capta a bestiis marinis et terrestribus, desinant nostra esse, cum effugerunt bestiarum nostram persecutionem; quis denique manere nostrum dicit, quod avis transvolans ex area, aut ex agro nostro transtulit? aut quod nobis eripuit? si igitur desinit, si fuerit ore bestiarum liberatum, occupantis erit: quemadmodum piscis, vel aper, vel avis, cum potestatem nostram evasit, si ab alio capiatur, ipsius fit. Sed putat potius, nostrum manere tandiu, quamdiu recipere possit: licet in avibus, et piscibus et feris verum sit, quod scribit. Idem ait, et si naufragio⁴⁵ quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere: denique quadruplo⁴⁶ teneri eum, qui rapuit. Et sane melius est dicere, et quod a lupo eripitur, nostrum manere, quamdiu⁴⁷ recipi possit id, quod ereptum est. Si igitur manet: ego arbitror, etiam furti competere actionem; licet enim non animo furandi fuerit colonus persecutus, quamvis et hoc animo potuerit esse; sed et si non hoc animo persecutus sit: tamen cum repositi non reddidit, suppressere et intercepte videtur; quare et furti, et ad exhibendum teneri eum arbitror: et vindicari, exhibito, ab eo porcos posse.

45. *GAIUS*, lib. 7, ad Edictum provinciale.

Communis servus si ex re alterius dominorum adquisierit, nihilominus commune id erit: sed is ex cuius re adquisitum fuerit, communi⁴⁸ dividendo iudicio cum summam præcipere potest. Nam fidei bonæ convenit, ut unusquisque præcipuum habeat, quod ex re ejus servus adquisie-

38. L. 25, in pr. supr. de usur. — 39. L. 4, § 19, infr. de usurp. et usucap.; § 25, Inst. de rer. divis. — 40. L. 29, infr. de reb. auctor. judic. possid. — 41. L. 19, supr. h. t. — 42. Arg. L. 4, § 17, infr. de usurp. et usucap. — 43. L. 25, § 1, supr. de usufr. — 44. L. 3, in fin. L. 4, in pr. supr. h. t. — 45. L. 21, § 1, infr. de incend. — 46. L. 1, in pr. infr. de incend. — 47. L. 8, in fin. supr. famil. ergisc. — 48. L. 19, L. 25, § 1, infr. de stipul. servor.; L. 24, in pr. pr. communi divid. — 49. L. 65, § 1, infr. h. t. — 50. *Immo* vide L. 20, in pr. supr. eod. — 51. § 1, Inst. quid. alien. licet. — 52. L. 10, § 3, supr. h. t. — 53. L. 45, in pr. supr. de acquir. vel amit. hered. — 54. § 35, Inst. de rer. divis. — 55. § ult. infr. h. t. — 56. *Immo* vide L. 45, supr. de usur. — 57. L. 25, § 1, supr. d. t. — 58. d. L. 25, § 1, vers. posterea.

rit; [sed si aliunde⁴⁹ servus communis adquisierit:] omnibus sociis pro parte domini hoc acquiritur.

46. *ULPIANUS*, lib. 65, ad Edictum.

Non est novum⁵⁰, ut qui dominium non habeat, alii dominium præbeat. Nam et creditor, pignus vendendo, causam domini præstat, quam ipse non habuit⁵¹.

47. *PAULUS*, lib. 50, ad Edictum.

Fructuario⁵² hereditas adquiri non potest, quod in operis servi hereditas non⁵³ est.

48. *Idem*, lib. 7, ad Plautium.

Bonæ⁵⁴ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena⁵⁵ re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia et opera ejus pervenerunt, sed omnes⁵⁶: quia quod ad fructus attinet, loco⁵⁷ domini pene est. Denique etiam priusquam percipiat, statim ubi a solo separati sunt, bonæ fidei emptoris⁵⁸ fiunt. Nec interest ea res, quam bona fide emi, longo tempore capi possit, necne: veluti si pupilli sit, aut vi⁵⁹ possessa, aut prædii contra legem repetundarum donata, ab eoque abalienata sit bonæ fidei emptori. — § 1. In contrarium quæritur, si eo tempore, quo mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde cognovero alienam esse: quia perseverat per longum tempus capio, an fructus meos faciam? Pomponius, verendum, ne⁶⁰ non sit bona fidei possessor, quamvis capiat; hoc enim ad jus, id est capionem; illud ad factum pertinere, ut [si] quis bona aut mala fide possideat. Nec contrarium est, quod longum tempus currit: nam e contrario is qui non potest capere propter rei vitium, fructus suos facit. — § 2. Et ovium foetus in fructu sunt, et ideo ad bonæ fidei emptorem pertinent, etiam si prægnantes venierint, vel subpræta sint. Et sane, quin lac suum faciat, quamvis plenis uberibus venierint, dubitari non potest. Idemque in lana⁶¹ juris est.

49. *Idem*, lib. 9, ad Plautium.

Quod fructuarius ex re sua donat⁶², ex re ejus est: sed si eo animo id fecerit, ut ad proprietatis dominum pertineat, dicendum est, illi acquiri: si autem extraneus ei donet, indistincte soli proprietario acquiritur. Eadem dicemus in homine libero, qui bona fide mihi servit: ut si ei aliquid donaverim, meum sit. Et ideo Pomponius scribit, quamvis donaverim ei operas suas; tamen quidquid ex operis suis acquirit, mihi acquiri.

50. *POMPONIUS*, lib. 6, ex Plautio.

Quamvis quod in litore⁶³ publico vel in mari extruxerimus, nostrum⁶⁴ fiat: tamen decretum prætoris adhibendum est, ut id facere liceat; imo etiam manu prohibendus est, si⁶⁵ cum incommodo cæterorum id faciet: nam, civilem eum actionem de faciendo nullam habere, non dubito.

51. *CELSUS*, lib. 2 Digestorum.

Transfugam jure belli recipimus. — § 1. Et quæ res hostiles apud nos sunt, non publicæ, sed occupantium⁶⁶ fiunt.

52. *MODESTINUS*, lib. 7 Regularum.

Rem in bonis nostris habere intelligimur: quotiens possidentes, exceptionem; aut amittentes, ad recipendam eam, actionem⁶⁷ habemus.

53. *Idem*, lib. 14, ad Quintum Mucium.

Ea quæ *civiliter* acquiruntur, per eos⁶⁸ qui in potestate nostra sunt, acquirimus; veluti stipulationem: quod *naturaliter* acquirunt, sicuti est possessio⁶⁹, per quemlibet volentibus nobis possidere acquirimus.

54. *Idem*, lib. 31, ad Quintum Mucium.

Homo liber hereditatem nobis acquirere non potest; qui bona fide nobis servit, acquirit⁷⁰: si tamen sponte sua sciens conditionem suam adierit; nam si jussa nostro adierit, neque sibi neque nobis acquirit, si non habuerit animum sibi adquirendi: quod si eam mentem habuit, sibi acquirit. — § 1. Item promittendo nobis liber⁷¹ homo qui bona fide nobis servit, ut emendo, vel vendendo, vel locando, vel conducendo, obligari ipso jure poterit. — § 2. Sed dampnum⁷² dando, damni injuriæ tenebitur: ut tamen culpam in damno dando exigere debeamus graviorem, nec tamen levem, quam ab extraneo. — § 3. At si jussu⁷³ nostro quid in re

— 59. L. ult. infr. vi honor. rapt. — 60. *Obst.* L. 25, in fin. supr. de usur. — 61. L. 4, § 19, infr. de usurp. et usucap. — 62. *Adde* L. 27, § 1, supr. h. t.; L. 51, supr. de usufr. — 63. L. 14, in pr. supr. eod. — 64. L. 1, § 18, supr. de oper. novi nunciat.; L. 2, § 8; L. 3, § 1, infr. ne quid in loco publico. — 65. d. L. 2, § 10. — 66. L. 5, in fin. supr. h. t. — 67. L. 49, L. 145, infr. de verb. sign.; L. 15, infr. de reg. jur. — 68. L. 10, in pr. supr. h. t. — 69. L. 20, in fin. supr. eod. — 70. L. 59, in pr. supr. de hered. instit. — 71. L. 118, in pr. infr. de verb. oblig. — 72. L. 15, § 1, supr. ad leg. Aquil. — 73. L. 19, § 3, supr. de iur. l. 17, § 2, supr. commodat.